



*Pauca exemplaria supersunt*

JOSEPHI FORNARI operis, cui titulus:

**COMMUNIA VITAE**

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

**Editio altera locupletior.**

Venit libell. italic. 8; quibus addendae erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteras nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mileiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

**FRIDIANUS-FRANCISCVLI PRANDIUM**

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)


Pro lectoribus novisque sociis, qui **INTEGRAM ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXV, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 525 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1050, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXIII

Romae, Mense Novembri MCMXXXVI

Fasc. XI



# **ALMA ROMA**

## LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXVI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequais; *ante solvendum recto tramite* mittendum sive ad JOSEPHUM FORNARI doctorem *Romam, Via del Governo Vecchio, 96* sive ad *Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano*.

### **DE SACRO CARMINE, VULGO "DIES IRAE,, NUNCUPATO**

Carmina mediae aetatis quisquis legat, eum diligenti interpretatione indigere certum est, ut eorum intimam virtutem omnino persentiat; decursu enim temporis, iuxta vicissitudines historiae, animorum quoque sensus, et carminum afflatus immutantur. Ea inter maximi ponderis esse habentur hymni sacrorum, quia nunquam deinde popularium animorum motus et affectus ab ipsis ecclesiae cantis vehementius expressi sunt. Atqui carmen vulgatissimum, quod in sacris sollemnibus pro defunctorum expiatione celebrandis christiani nos iteramus, a primis eius verbis *Dies irae* dictum, princeps est super ceteris, etsi haud facile aequales nostri exploratam undeque vim eius et virtutem habuerint.

Auctor carminis, ut saepe de vulgaribus hymnis contigit, diu ignotus. Wionius Gregorio Magno illud adscripsit, Proystinius Bernardo dedit, Innocentio III tribuit Ozanamius, Leander Albertus Humberto Ursinio addidit, alii autem aliis, ut Sancto Bonaventurae, ut Augustino Biellensi, ut Thomas Aquinati, ut Felici Hammerlein,

ut Matthaeo ab Aquasparta; verumtamen, quamvis non certissima res historiae testimonio tradatur, Thome Celanensi carmen tribuere facile iudicium suadet.

Qui quidem piissimus fuit inter Francisci Assisinatis discipulos; eius immo scripsit semel et iterum gesta quae vocant, vitam primam atque secundam, scripsit et *Miracula beati Francisci*, et « sequentias » duas, quae incipiunt *Fredit victor virtualis*, et *Sanctitatis nova signa*; quibus hymnus addendus hic est *Dies irae*, iuxta non interruptam, satisque antiquam opinionem.

Quam quidem ante omnia tuetur *Liber conformitatum*, quem scripsit saeculo XIV occidente Bartholomaeus a Pisis, asserens Thomam scripsisse « prosam de mortuis, quae cantatur in Missa, *Dies irae dies illa*, etc. ». Certum est autem nullibi « prosam » inveniri in manuscriptis quae saeculo decimotertio antecedant, quinimo optimam hymni lectionem in Franciscalium libris esse servatam. Accedit fama tum doctorum virorum, tum popularium, quam arguit etiam sepulchralis Celanensis nostri lapis Taleacotii, ubi vir decessit. Ceterum opera eius reliqua, eaque certa, et stilo scribendi, et rerum forma cum mortuorum hac « sequentia » convenient.

Quae, prouti satis constat, in duas partes distinguitur, quarum altera Christi iu-

dicum enarrat, altera gemens Deum ad precatur ut veniam pius indulget.

Vulgata vero cantici forma novem et decem habet strophas, etsi superfuerint variae insuper duae, alia Mantuae in templo Sancti Francisci marmore cusa, quae habet strophas viginti et unam, alia a Felice Hammerlinio relata, quae tres insuper addit.

Utraque vero facile appetit impura, atque multis additionibus sive a populo, sive a poëtis aucta.

Eulgatio enim hymni lento gradu progressa est. Saeculo xiv vix in Italia hymnus concinitur; sequenti saeculo per pauci libri tum Galliae tum Germaniae eum habent; tantum, post Tridentinum Concilium, Pius V, redacto unico missae celebranda libro, carmen ibi adiecit et omnium fecit; ante id tempus, saeculo xv ineunte in Breislaviensi missali primum legitur, occidente vero in Lubecensi, in Fergenensi, in Hammensi monastico missali, in romano Venetiis impresso anno MCDXCIV, atque in Metensi eodem anno typis edito. Verum vix redacto hymno, eum, certum est, a populo fuisse late usurpatum, etiam citra Alpium iuga, quo tempore, saeculo nimirum xiv exeunte, Hammerlinius novos versus addidit. Serius tamen in missalibus adiectus, ita ut per paucos Italorum missales, qui eum habeant insertum, reperire datum sit. Verum animadvertisendum est, quemadmodum Cardinalis Bona iam adnotavit, *Dies irae* hymnum, quum iubilatorium reputaretur canticum, in missa pro defunctis haud statim fuisse adiectum.<sup>1</sup>

<sup>1</sup> In *Dies irae* hymno nulla est mentio defunctorum; conclusio enim de defunctis, ut hodie habetur *Huic ergo parce Deus* || *Pie Iesu Domine*, || *Dona eis requiem* || quippe quae stylum alium redoleat, et diversa rhythmia ratione scripta sit, posterior videtur; quinimmo Hammerliniana lectio haec in fine exhibet: *Vitam meam fac felicem* || *propter tuam genitricem* || *Iesse florem et radicem*.

Facile arguitur contra, carmen in missa primae dominicae adventus fuisse insertum, ubi sive Pauli epistola ad Romanos, sive Lucae evangelium de iudicio multa iterant: quam opinionem confirmant veteres nonnulli missales, qui canticum habent inter « sequentias » tempore adventus recitandas.

At forte popularis pietas eum iterari pluries in anno cupiit, quem morem deinde decreta Ecclesiae sanxerunt. « Sequentiae » enim in missa solemnii paullatim loco « pneumarum » vel « iubilantium » vocalium suffectae sunt, quae post gradualem diebus solemnissimis cantabantur.<sup>2</sup>

Notherius *balbulus* primus eas condidit brevissimis versiculis, deinde vario pede ac versu irregulares multae scriptae sunt, postea versu similiter cadente certae sunt factae, quas inter est *Dies irae* celeberrima. Cantus hi vero passim aut mysterio commemorando, aut evangelio in missa perlegendendo aptati. Atqui quum Celanensis suum confecit, plurimi iam constituti erant; itaque suos inde modos ille sumpsit.

Huiusmodi tituli auctoresque ad quatuor supra triginta recenseri possunt (exempli gratia qui poenitentiam suadent); de universalis iudicio quoque sex supra viginti et amplius habentur.

Illiusmodi sunt carmen Sancti Paulini Nolani Episcopi, quod his verbis inchoatur: « Omnipotens, solo mentis mihi cognite cultu » quodque inscribitur *Precatio ad Deum Omnipotentem*; est et *Exhortatio poenitendi* quae Verecundo Africano Episcopo tribuitur; est *Oratio ad Deum* auctore Eugenio, VII saeculo Episcopo Toleano; sunt et *Versus confessionis de luctu poenitentiae*, quos Paulinus Aquileiensis, vel Hilarius Pictaviensis scripsere, atque alia sexcenta.

Sunt alterius generis *Hymnus ad exe-*

<sup>2</sup> Atque ideo a « sequendo » sequentiae dictae.

quias defuncti Aurelii Prudentii, et hymnus de *Adventu Domini* sancti Ambrosii.<sup>3</sup>

Quod si temporis opportunitatem quaesieris, qua contigit Seraphico sodali, eique benigno et mansueto, tam tetrum carmen exscribere, memorandi sunt Ecclesiae atque reipublicae luctus, qui Friderico II rege atque imperatore fuere. Acerrimae tunc Guelphorum, quae dicebantur, et Ghibellinorum factiones, teterrima bella inter Pontificem Romanum et regem, quae in singularis oppidis exarsere. Diro igitur in discrimine, passim Minoritae sodales impletari se oportere censuerunt pacem a Deo et misericordiam. Supervenere haereses, multiplices quidem et variae Patarinorum, Petrobusianorum, Catarorum, Leonistarum, aliorumque, unde anxiae factae sunt mentes hominum in tot malorum causis investigandis.

Altioris doctrinae viri non pauci tunc reputarunt, post duas, quas autumabant, prope exactas mundi aetas, Dei Patris primam usque ad incarnationem, alteram Filii Unigeniti, mox adesse initia tertiae aetatis, quae a Divino Spiritu diceretur, mansura in omne aevum.<sup>4</sup> Fatalem autem atque atrocem esse oportebat annum, quo altera illa aetas absolveretur; hunc adamassim, certis suppurationibus innixi, constituere futurum, idest decem post annos a Friderico rege defuncto, quod paulo ante tempus hymnum Celanensis poëta descripsit. Aliunde vero Sybillina quoque oracula, in ipso limine versuum memorata, tempus scripti carminis arguunt, quum annis praesertim MCXC vel MCXCVII editae fuerint et vulgatae prophetiae complurimae, quae Sibyllinam ambiguitatem ostentabant.

<sup>3</sup> Haec omnia legere est fuse relata in eruditissimis libris sive Ulixis Chevalier, *Hymnologiae repertorium*, sive in G. M. Dreves *sequentis ineditis*, sive in *Patrologia a Migne collecta*, sive denique in Daniel ope re de veteribus hymnis, et alibi.

<sup>4</sup> Huiusmodi documenta praesertim Ioachimus Abbas de Monte Amano celeberrimus tradidit.

Heic tamen expositionem carminis, quod omnes memoria norunt, non prosequimur, neque fusam recensionem referemus verborum omnium et sententiarum, quae sive a Veteri, sive a Novo Testamento, sive a Patribus in suos versus poëta contulit. Quod ignem attinet, in quem dies tertia solvet mundum, ea fuit quoque fides patribus priscis, iuxta illa Ovidii:<sup>5</sup>

*Esse quoque in fatis reminiscitur affore tempus,  
quo mare, quo tellus, corruptaque regia caeli  
ardeat et mundi moles operosa labore;*

cui consonat Lucanus:<sup>6</sup>

*Hos, Caesar, populos si nunc non usserit ignis,  
uret cum terris, uret cum gurgite ponti;  
communis mundo superest roges;*

ataque Cicero ipse et Seneca eadem tradentes, ille quidem a stoicis deducta:<sup>7</sup> « Eventurum nostri putant id, de quo Panætium addubitare dicebant, ut ad extremum omnis mundus ignesceret »; alter vero:<sup>8</sup> « Ignibus vastis torrebit: incenditque mortalia. Et quum tempus advenerit, quo se mundus renovaturus extinguat, omni flagranti materia uno igne, quidquid nunc ex disposito lucet, ardebit ».

Ceterum non tam poësis quam et artes omnes liberales supremum mundi incendium novissimumque iudicium terrorem effinxere. Saeculo iv ineunte « arcosolium » quoddam in coemeterio Cyriacae ad Tiburtinam viam Christum iudicem praebet; eadem mox in coemeteriis Domitillae atque Sancti Petri et Marcellini, itemque in Callisti et in Ostriano coemeterio inveniuntur. Haec tamen indicia paulo mitiora sunt, et nonnisi beatam spem electorum ferentia; sed quae Paulinus Nolanus in Fundana ecclesia voluit, ea ab Apocalypsis ingenti metu apparent excitata. Similia in basilica Ravennati Sancto Apollinari sacra, atque in Lateranensi sarcophago, et in abside

<sup>5</sup> *Met.*, I, IX.

<sup>6</sup> *Pharsal.*, VII, 812-814.

<sup>7</sup> *De natura Deorum*, II, 46, 118.

<sup>8</sup> *Ad Marciam* in fine.

musivo ecclesiae Sancti Cosmae et Damiani. Post haec varie effingitur dies terribilis, heic magis temperato colore, illic magis fusco et tremendo. Mox byzantini artifices vivam magis rem effingunt, ut in templo S. Angeli in agro Capuano a Desiderio Cassinensi abate anno MLX erecto, atque meliori ausu in Buranensis insulae ecclesia cathedrali. Eadem dicas de Sanctae Mariae *ad cryptas* templo in agro Aquilano, pariterque de Russorum ecclesia Sancti Cirilli, quam Kiew in urbe byzantini opifices aedificarunt.

Perfectior autem res facta in dies, iuxta progressum omnis humanitatis, atque redditi melius non solum corporum motus, sed sensus animorum. Haec posuit anno MCCXXVIII Gislebertus in templo Augustodunensi, haec eminent in summa porta templi Persensis in Gallia, atque in cathedralibus templis Burdigalensi, Rhemensi vel Rhedonensi, alibique, in Germania quoque et in Anglia, manifesto hoc artificum consilio, ut adspectu saevientis iudicis, eiulantium damnatorum, daemonumque torquentium animi ad poenitentiam moveantur. A medio autem saeculo XIII usque ad eius occasum optimae iudicii imagines effectae coloribus inveniuntur. At paullatim deinde, magis quam movendi animi studium, conatus eluet in operibus ostenditae peritia, ut in Giotti pictura murali Patavii, atque in Andreae Orcagna simili opere in sacello Florentini templi Sanctae Mariae novae, in Pistoriensi vel in Pisiensi coemeterio, in Urbevetana cathedrali, in Xystino denique sacello, quod ingenii vi suprema Bonarrotius adornavit.

Ceterum, Thoma de Celano anno MCCLX vita functo, superfuit eius nomini carmen celeberrimum in ore populi, ubi adhuc vivit; illudque laudavere uno modo poëtae et critics artis magistri, ut Danielus et Carduccius et Gautier Theophilus franco-gallus. Arguunt autem eamdem ubique operis existimationem esse ratam ipsi co-

natus interpretandi carminis novis linguis multoties iterati, ita ut Liscus eos ad sexaginta dinumeraverit, idque idiomate Germanico, Iberico, Anglico, Gallo, Italo, pariterque Graeco. Interpretibus vero splendissimum iudicium addunt ultimi musices magistri, qui certatim pulcherrimis numeris dignum canticum induere. Aloisius Praenestinus ex his primus, cui successere Pergolesius, Astorga, Iomellius usque ad Franciscum Durante, et Iosephum Franciscum Haydn. At maiora cecinit de re Cherubinius; alias mirifice interpretati sunt Mozartius, Berlioz, Verdius, nostrisque diebus Perosius.

Attamen longe perennior, quam tanta artificum summorum prodigia, memoria et vox populi Celanensis canticum servabit.

Repetunt per Italiam variis suis idiomaticis gentes ex Latio, Umbria, Samnio, ex iisque insulis Sicania et Sardinia, repetunt praecipue agricolae et feminae. Causa rei haec una profecto, quod Celanensis hymnus altissimum canit eventum et moribus humanis saluberrimum; non omnia enim aeternae poëseos argumenta esse valent, sed illa tantum quae voces animorum maximas ingeminant et iustitiae atque amoris verba loquuntur.

I. ANTONELLI.

## DE FONTIBUS IURIS ITALICI LINEAMENTA HISTORICA

### AETAS NOVA<sup>1</sup>

Alciati schola per Cuiacianos ad Hispanos et ad Batavos finitimos transiit. In Hispania iam Antonius Augustinus novam aperuerat viam; non ita tamen ut a dialecticis plene abhorreret. Eum sequuti sunt

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

in studiorum Universitate Salmanticensi Covarruvus (MDXII-LXXVII), qui acutus itemque copiosus « Bartolus hispanus » appellatus, etiam in Italia famam obtinuit; Pinellus, Costa, Caldera, Rhamus, eruditissimus, cuius e schola prodiit Mendoza ille Americanus, qui iuris Romani studia primus ad novas terras detulit.

Inter Batavos eodem saeculo eminuerunt Muddaeus, Hopper, Wesembecius, Viglius Zwichemus, catholicae religionis tenacissimus, Imperatori devotus, omnium eruditissimus, qui primus Venetiis invenit et edidit *Paraphrasim Theophili*, sese gloriosus Alciati discipulum fuisse, qui carissimum eum habuit et collegam minorem Brugis, atque postea ibidem successorem: docuit vero Patavii quoque et Ingolostadii. Ei proxime accessit Henricus Agylaeus: <sup>2</sup> omnes temperati inter rationem dialecticam et cultam.

Neutri parti adhaesere Othomannus et Connanus. Othomannus patre Germanico Parisiis natus, Aureliani studiis operam dedit, doctorisque lauream consequutus ius Romanum privatum Parisiis docuit. Mox defecit a catholica veritate ad « protestantium » errores, patreque relicto pluribus locis docuit. Brugis Cuiacio successit, quem patria pulsus est, Genavamque inde migravit, ubi vita est functus. Copiose scripsit, Iustinianum momordit uti iuris Romani corruptorem; « antitribonianorum » agmen conflavit, consuetudinumque, quasi novi iuris fontium, fuit studiosissimus. — Connanus, socialem iuris et originem et finem acute perquisivit.

Medium quoque viam in Italia eodem saeculo XVI plerique terunt de iure bene meriti. Hos inter primus occurrit Marcus Mantua Benavidius, Patavii ortus anno MCDLXXXIX patre litterarum ignaro, Man-

<sup>2</sup> Nomen suum Anthonissens in Agylaeum latine mutaverat in memoriam italicae civitatis (Caerere) unde pater erat oriundus.

tuano origine. Pingui eruditione, nobili eloquentia, ardentis antiquitatum amore gravat: desideratissimus ubique iuris magister Patavii semper mansit, honoribus cumulatus et honestissimo stipendio: utriusque iuris peritissimus, senex nonaginta et tres annos natus obiit, eiusque corpus in mausoleo conditum est quod vivus sibi exstruxit in templo Eremitarum. De iure civili belle scripsit « Problematum legalium » libros quatuor; « Observationum legalium » lib. decem; praeterea « De iurisconsultis illustribus », et « Illustrum consultorum imagines ex museo Marci Mantuae »; quibus omnibus operibus magis quam prima fronte videatur usi sunt et Gallici et Germanici scriptores; maxime omnium Savigny. Mihi Benavidius est veluti pons Italicus inter veterem novamque iurisprudentiam, inter Bartolum et Cuiacium, cum Alciati ac Panciroli aequalibus suis: taedam accipit a saeculo XV, nutrit alitque toto ferme saeculo XVI, ut splendeat vividius novam viam commontrans scriptoribus saec. XVIII, tum Italicis, tum etiam Gallis et Germanis. <sup>3</sup>

Sequitur Iacobus Menochius, Ticini natus, ubi et iura didicit, et iuvenis annorum trium supra viginti ius civile exponere coepit; deinde, ab Emmanuele Philiberto, Sabaudico Principe, accitus, an. MDX in civitate Montis Vici; demum utrumque ius Patavii, maxima omnium laude nec sine elegantia, ut visus sit Bartolum Baldumque simul in sese cumulare, a nova tamen via non plane alienus. Publicis quoque functus est munieribus Mediolani, ubi supremum obiit, die X mens. Augusti MDCVII. Scripsit « De præsumptionibus, coniecturis, signis et indiciis »; « De adipiscenda et recuperanda possessione »; « De arbitrariis iudicium quaestionibus et causis »; « De iurisdi-

<sup>3</sup> Et de re canonica copiose Benavidius scripsit, ut « Commentarii iuris pontificii in omnes quattuor Decretalium partes ordinarias ».

ctione, imperio et potestate ecclesiastica ac saeculari ».

Eius aequalis fuit Franciscus Maria Mantica, in utroque iure maxime versatus, acieque ingenii peracutus. Ortus est ad forum Iulii in oppido Pordenone; praeclarum utrique iuri operam dedit Patavii, ubi, ex alumno magister factus, iuris civilis institutiones primum, deinde ipsum ius civile professus est, pietate aequa ac scientia praefulgens. Quarum fama captus Sixtus V Summus Pontifex, eum Romam accessivit, et S. Romanae Rotae Auditorem creavit; Clemens autem VIII Sacra Purpura honestavit. Paulus quoque V, quem in Sacrum Senatum adlectus fuerat, singulari eum est benevolentia prosequutus. Romae obiit die XXVIII mens. Ianuarii MDCXIV, eiusque plura opera pervulgata ac notissima edita plures sunt non modo in Italia, sed in Gallia, in Germania, in Helvetia.

Iulius Pacius a Beriga, Vicentinus, iuri addidit litterarum, philosophiae, immo et mathesis lumen et decus, ita Alciati rationi adhaerens, ut Bartolum non fastidiret; quamobrem, immerito tamen, Patavinis iuris peritis non admodum placuit, quamvis Italica, Gallica, Germanica athenaea inter se contendenter ut sibi quaeque haberet. Ita Genavae in Helvetia, Heidelbergae in Germania, Nemausi et Monte Pessulo in Gallia, Patavii in Italia, demum Valentiae, iterum in Gallia ad ultimum diem. « Protestantium » erroribus captus, catholicam mox, Peiresci discipui atque amicissimi opera assida, recuperatam veritatis lucem tenacissime servavit. Eius exstant « Institutiones... Accedunt leges XII tab., Ulpiani tit XXIX, nec non Caii institutiones cum notis et « Ἐναντιοφάνων », seu legum conciliandarum centuria X ».

(Ad proximum numerum).

SYLVIUS ROMANI.

## DE ROMANORUM SEPULCHRIS ELEMENTA

Variis appellationibus prisca revolventi monumenta vocatum sepulchrum apud Romanos occurrit; dicebatur siquidem *Monumentum, Memoria, Conditorium seu Conditivum, Requietorium, Domus et Domus aeterna, Stabulum, Thesaurus Orcivus, Tumulus, Sarcophagus, Coemeterium, Polyandrum, Area, Pyramis, Mausoleum, Bustum, Urna, Puticuli, Dormitorium, Ergastulum, Coenotaphium, Quies, Sedes, Arca, Feretrum, Depositum*; quae voces vel in idem omnino recidunt, vel paululum diversa sonant.

Sepulchrum enim dicebatur Monumentum seu Memoria, quod, ut ait Festus, « ob memoriam alicuius factum sit », seu, ut inquit in epistola ad Caesarem Tullius, « ad memoriam posteritatis ».

Appellatur Conditorium seu Conditivum, quod corpora in eo condiantur; Requietorium vero, aut Quies vel Sedes et Dormitorium, quod, ut ex veteri poëta ait Tullius,<sup>1</sup> « ibi, remota vita, corpus requiescat a malis ».

Domus vel Stabulum, quod usque ad mundi finem ibi simus permansuri; aeterna vero, quia Ethnici resurrectionem mortuorum non exspectabant.

Thesauri Orcivi vocabulum ab Orco, funerum deo, derivatur. Item dicebatur Tumulus, quasi tumens humus, quae, sepulto homine elevatur.<sup>2</sup>

Sarcophagi quandoque nomine sepulchrum appellari solet; quamquam et vocabulum hoc proprie lapidem illum marmoreum, vel fictilem significet, in quo, ut testatur Plinius, « corpora defunctorum condita, ab eo absumi constat intra quadraginta

<sup>1</sup> Tusc., i. I.

<sup>2</sup> Cic., Tusc., i. III.

simum diem, exemptis dentibus »;<sup>3</sup> unde Sarcophagus a graeco verbo σαρκο-φάγος = carnis consumptor.

Coemeterium quasi dormitorium; quia domus in qua hospites dormire solebant, a Cretensibus coemeteria (κοιμητήριον) appellabatur. Polyandrum, verbum graecum et ipsum, sonat locum quo multi homines conveniunt.

Areae appellationem hinc sepulchris inditam nonnulli credidere, quod sicut in illa triticum trituratur, ita et in sepulchris cadaverum carnes.

Pyramis a Graeco verbo πυρ, quod ignem significat, ea fortasse de causa, quia in modum flammae ignis cuspidatim ascendat. Aegyptiis familiaris, e quibus etiam ad Romanos, quibus mos Magnatum cineres in pyramidum cuspide collocandi: hinc ex Herodoto pro sepulturis accipi copta. In idem ferme convenit Mausoleum, ita a Mausolo, rege Cariae, cui tale ab Artemisia coniuge exstructum fuerat, appellatum.

Bustum proprius locus, in quo corpora urerentur, et sepelirentur; sed passim pro sepulcro usurpatum, sicut et Urna, vas scilicet, quo combustorum cineres recondebantur.

Puticuli plebeiorum sepulchra indicabant.

Dictum quandoque fuit sepulchrum, per antiphrasim, ni fallor, Ergastulum; quod laborem sonat, a Graeco verbo ἐργασία;<sup>4</sup> per antiphrasim, inquam, quasi quod mortui in sepulchro adstricti non laborent, sicut lucus dicitur a non lucendo, bellum quod minime bellum, etc.

Cenotaphium<sup>5</sup> erat honorarius tumulus, nullo interim cadavere existente. Exstrebatur scilicet illustribus quibusdam viris

<sup>3</sup> Hist. nat., i. XXXVI, c. 27.

<sup>4</sup> Εργαστήριον eudem carcer erat rusticus, locus scilicet in agris, ubi servi ad faciendum opus vinciti detinebantur.

<sup>5</sup> Κενοτάφιον a κενός = vacuus, et ταφεών = sepulchrum.

honoris ergo et memoriae egregie gestorum asservanda causa. Cenotaphia autem duorum fuere generum: vel enim alibi sepultis erigebantur, vel sepulturae plane expertibus. Prima magis proprie « honoraria » dicta sunt: sic Druso, qui in Campo Martio tumulatus fuerat, cenotaphium prope Rhenum milites excitarunt:<sup>6</sup> « et Alexander cenotaphium in Gallia, Romae sepulcrum amplissimum meruit », sicut ait Lampridius. Quae vero inseptulis excitata, ea proprie Religionis causa fiebant, existimantibus priscis non posse animas prius quiescere, quam sepulchris essent conditae; ut ita quorum corpora reperiri nusquam possent, iis inanis tumulus extruderetur, ad quem animas mortuorum vocarent.<sup>7</sup>

Arca erat capsula sepulchralis; Feretrum verius machina, qua cadavera ad sepulturam efferebantur; sed passim pro pauperum tumulo, imo et quandoque dixitum. Depositum denique erat capsula in altum locata, in qua corpora defunctorum condita fuerant.

\*\*\*

Sepulchrorum alia erant quae sibimet aut coniugi suae quis aedificabat; alia vero quae sibi, familiae posterisque suis; illa nulli omnino haeredum patebant; id quod etiam poenis praecavere solebant; horum — quae « communia » a Tullio dicta sunt<sup>8</sup> — alia haereditaria erant, familia insuper alia. Prima ab Ulpiano definiuntur « quae quis sibi, haeredibusque suis constituit »; alia etiam nomine appellata sunt « sepulchra Maiorum, Patria, Avita et Gentilitia vel Gentilitia », ut apud Terentium, Suetonium et Valerium passim;

<sup>6</sup> SUET., in Claud.

<sup>7</sup> Similia apud Graecos; quin imo scribit Origenes (l. 1, in Cels.) Pythagoricis eum morem fuisse, ut si qui a sua philosophia defecissent, iis cenotaphia tamquam mortuis extreuerent.

<sup>8</sup> De offic., I.

<sup>9</sup> Dig., de Rel. et Sumpt.

inque haec sepulchra inferendi ius haereditatis habebant; item et bonorum possessores; liberis etiam, quantumvis haereditate sese abstinerent: excludebantur tamen liberti, sicut ex allato Ulpiani loco deducitur, et iureconsultis obvium. In familiaria vero sepulchra, « quae quis sibi familiaeque suae constituit », sicut ait Caius,<sup>10</sup> quotquot e familia forent, licet haeredes non essent, inferendi ius habebant; liberti etiam ipsi, quos utique e familia Romani reputabant.

Ad praecidenda tamen litium semina moris erat expresse de personis praecavere, quae inferendae essent, ut ex variis inscriptionibus constat; adde vivos etiam quandoque fuisse exclusos,<sup>11</sup> et pueris qui nec dum quadraginta dies implessent, proprias sepulturas esse, « subgrundaria » dicta, « credo — scribit Morcellius —<sup>12</sup> quod, ut hirundini nidus, ita exiguo pueri corpusculo subter subgrundas loculus esse posset ».

\*\*\*

Nonnulla addemus de sepulchrorum forma, structura, amplitudine, ornamentisque.

Si primaeva inspexerimus tempora, aliae sane non occurrent sepulchrorum structurae, quam rudes, incomptae, inornatae et squallidae; unde illa vere mortis domos appellaveris. Privata sepulchra aliud profecto non erant, quam scrobes in terra excavati, quibus infodiebantur potius, quam sepliebantur defuncti; quae scrobium simplicitas ad Neronis usque tempora vixit, eo solum ornatu superaddito, quod fossa ipsa lapidibus sterneretur.<sup>13</sup> Communia autem

<sup>10</sup> Dig. de Relig.<sup>11</sup> Ita in inscriptione quadam legitur: « Excepto Hermete liberto quem veto propter delicta sua aditum ambitum vel ullum accessum habeat in hoc monumento ».<sup>12</sup> De stil. inscript. lat., I.<sup>13</sup> De sepulchro ipsius Neronis ita Suetonius: « Ut quamprimum se impudentibus contumelias eriperet, scroben coram sibi fieri imperavit, dimensus ad corporis sui modulum, componique simul, si quae inventarentur, frustra marmoris, et aquam simul, ac ligna confiri curando mox cadaveri ».

sepulchra alii erant generis: consistebant siquidem plerumque in subterraneo quodam aedificio arcuato, pavimentis strato ac parietibus circumsepto, in qua per gradus descenderetur, foribus omnino clausis, solumque opportunitate exigente reseratis.

Hac vero non contentus mediocritate, lautitiam etiam atque splendorem in sepulchris ipsis atque cineribus adinvenit hominum luxus. Tumuli enim supra terram elevari coeperunt, altiores quidem pro tumultuorum celsitate et eminentia; atque ita cum structurae proceritate ornatus quoque et luxuries inventa. Quae quidem ornamenta varia fuere; praeter enim proprios architecturae ornatus, consistebant ipsa in statuis, columnis, antis aliquis id genus; erant et emblemata varia, defuncti vitam affabre exprimentia; praeterea inscriptionibus atque titulis sepulchra insigniri solita, quae defuncti gesta admonerent, interdum prosa oratione, saepe etiam versu. Solebant quandoque tituli minio conscribi, quo clariiores essent.<sup>14</sup> Plures notis consignabantur, quarum frequentiores: D. M. vel D. M. S., vel diserte: DIS MANIBVS SACR., vel D. I. M. seu DIIS INFERIS MANIBVS; nec deerat defuncti nomen ut et vitae spatium et mortis etiam causa. Integra etiam testamenta sepulchris inscribi curabant; item legata et conditiones; gesta denique ipsa defuncti.

I. M.

<sup>14</sup> PLIN., I. XXXIII, c. 7.

Nonne in paucis versibus vitae patet memoria? Respic sepulchra, et vide qui servus et qui dominus, qui dives, qui pauper. Discerne, si potes, victim a rege, fortē a debili, pulchrum a deformi. Vide si est aliquid in eo signum iactantiae suae. Memorare utique naturae, ne tollaris.

S. AUGUSTINUS (lib. De Natura et Gratia).

## DE NOVO HOROLOGIO MESSANENSI

AD VINCENTIUM POLYDORI

Hic ne quiesceris musarum mella decusque, ast humiles tantum, nec sine labo, modos. Attamen excipias fraterno corde, sodalis, vel minimum munus: pignus amoris inest.

Quamquam pollicitus, Vincenti candide, saepe me tibi scripturum, brevibus non, hercule, char-

[tis, ut confecisset, cara cum coniuge cumque infanti pueri vectus, tam longa viarum, quidve nova hac essem demum miratus in urbe — heu pudet! — invenior, rerum dulcissime,

[mendax!] Ast ipse hic veniam, Musarum doctus alumnus, concedes, si his de rebus nonnulla loquens te per longam variis recreavero versibus horam.

Urbs Messana, tibi gelidum ne forte tremorem adferat, in mentem veteris vestigia cladis si revokes, audi ut niteat pulcherrima ab ipsis sanguine purpureis late madefacta ruinis.

Hic, ubi caeruleo caelum per cuncta nitore splendet et unda freti circumfluit usque serenas oras dulcisono zephyrorum flamme mulcens, hic, ubi mors subito brumali tempore motu omnia constravit, quidquid perfecrat aetas, miscuit et luctus puerum matrumque patrumque, hic modo cuncta, novae sensim ceu redditia vitae, se rosei extollunt radiis circumdata Phoebi. Robore nunc cernas intexta palatia ferri ac lapidum, portus peragratum navibus aequor, curribus atque vias rapidis populoque frequen-

[tes. Haud fas, Vincenti, longumque tibi omnia

[versu dicere quae captant animos ac pectora cunctis; si quando huc venies, caelo gaudebis aperto

tranquilloque mari, prisci quod temporis acta Aeolidisque vias illuni nocte querellis usque suis longas longum narrare videtur. At qui Messanae tacitus sine carmine linquam turrim, quae varie metitur temporis horas, quin tibi iucundis sermonibus omnia pandam? Non haec sublimis fugientia nubila tangit, nec procul adveniens hospes videt anxius illam, unde nitor manet pelagi per aperta sereni.

[quantur!

Namque alio permagna loco tabula ecce patescit, in qua quisque annum spectet, quo volvitur ae-

[tas, tum menses, festosque dies, qua denique luce vivamus... Dextra niveo de marmore parvus angelus haec monstrat digito: videaris ab ore audire illius cubitum quod tempus eundi quodve sit ad laetae properandi gaudia caenae... Cum tibi iam paucis dederim caelestia turris, admiranda quidem diversa in parte decebo

omnes quae afficiunt pueros iuvenesque senes-  
[que,  
pistoresque vagos, matres bellasque puellas.  
Hoc scito in primis, non una in sede fuisse  
personas tot dispositas, quae, tempore certo,  
punctum vix index tetigit qui dividit horas,  
quadam vi pulsae varie lenteque moventur.

Machina, quae tenui multarum ducta rotarum  
aevum circuitu frangit, stat culmine turris:  
continue inde suo subter movet omnia motu.  
At quae mira inhiat iucundo corde popellus  
inferiore loco mireris. Saevus ab alto  
en leo subsiliens, Phoebique orientis ad oras  
vertitur horriflico rictu; tenet unguibus hastam  
vexillumque urbis, memorat quod gesta priorum  
inclita magnanimum; tum plaudere gallus apertis  
alis, in platea turba gaudente, videtur,  
dum dextra laevaque adstant in parte figurae  
femineae incessu, Dina et Clarentia, magno  
pulsantes quae malleolo resona aera quaternas  
horarum partes iactant funduntque per aethe-  
[ram.

Harum haud effinxit tenebris fabula saeclis  
nomina, prodiderunt prisco sed tempore in urbe  
patrum res gestae. Gallorum namque superbam  
cum sic maiores rabiem fregere Panormi  
hostili ut late manarent sanguine terrae,  
Carolus accurrit stomacho biliisque timendus,  
gentibus ut rursus daret impia vincla subactis.  
Frusta! Deiectus Messanam dum obsidet idque  
expedit insanus, nostros delere tenaces  
et penitus tandem convellere moenia, cives  
omnia frustrantur cum femina quaeque propin-  
[quos  
ataque viros magnis monitis vocet undique ad ar-  
[ma,

cuncta ferens, quidquid turmas depellat ab urbe.  
Forte die quodam summis e moenibus orta  
nostros tempestas pavidos disiecerat omnes;  
hostes tum tempus nancti clam moenia scandunt  
ataque urbem invadunt... Quod cum Clarentia

[sentit

Dinaque, correptae subito trepidoque furore  
e summa feriunt turri sacra aera: cucurrit  
quisque celer; telis, armis, iaculisque frequentes  
agmina devincunt... Ex hoc, labentibus annis,  
illarum nomen longum permansit in aevum,  
ac nunc, ex auro effectae, quater ultraque in hora  
tinnitu aera gravi hinc illinc resonantia pulsant.

Dum lento tristique sonant bombo aera cadu-  
[casque

aevi mortalis revocant mortalibus horas,  
inferior stans saeva sua geminare videtur  
Mors falce horrificos ictus... Vix incipit hora,  
ante atram ingreditur Mortem puer impiger, inde  
ut pars prima fuit, iuvenis se monstrat et ardens  
mox miles sequitur media horae parte, senexque,  
tertia ab excelsae cecidit cum culmine turris,  
curvus humi incedit subnixus arundine corpus.  
Scilicet aetatis volucris praebetur imago:  
quam rapido fugiunt, heu, fluxu tempora? Sem-  
[per  
omnia mutantur; veniet cito taetra senecta  
et Mors... Interea subter fas cernere non est  
motus, cum septem cursu fugiente dierum  
tam lentis gradibus solis moveantur ad ortus)  
ante oculos subeunt species spectantis amoena:  
sunt homines, currus, divi divaeque supernae  
atque ferae queis quisque dies monstratur aperte,  
dum quis forte sciat superum percallidus acta.  
Quae cum dextrorum incedant lentissima, con-  
[tra  
illa sinistrorum, tanquam exemplaria vitae  
mortalis videas: occurrunt tempora vitae!  
Omnia cassa ruunt; fluitans feret omnia secum  
aevum; obscura minas iterat Mors; culmine tan-  
[tum  
stat Crux in summo mortalia tempora vincens.

Ut tetigit medium caeli Sol igneus axem  
(in latae spatio plateae de more popellus  
funditur huc illuc visum miracula ludi)  
suspensi incipimus mirari pectore monstra  
quae vi pulsa ima pandunt sese ordine: fulvis  
en leo, signa tenens, caudam movet arduus, inde  
ter caput adverso populo detorquet et altum  
guttura ter stridens mugitum iactat ad auras.  
Vix tacuit, gallus, veluti ruiturus ad imum,  
laetitia iam captatur, quatit aureus alas  
ter, ter deinde caput paulatim sublevat atque  
ter gaudens hilarem de gutture fundit acuto  
clamorem: subito risus crepat omnibus ore.  
Interea solo diversa in parte sepulcro  
adstant custodes, somnus quos occupat; ecce  
se lente extollit quidam, stat victor et altam.  
(nemo est quin faveat, commoto pectore, lin-  
[guis)

dextram tendit amans, sensimque elatus in ae-  
[thram  
e visu aufertur. Si alio rem tempore cernas,  
longe alia inspicias: recubans nam parvus in  
[arcu  
nunc praesepe Infans stabit; Matercula amore,

dum bos interea et veneratur asellus utrinque,  
fert oculos pavido in tenerum castissima Natum;  
nunc propere incedit, stella praeunte, Magorum  
longa cohors, longam regionem mensa viarum,  
quo sua quisque ferat pietatis munera Iesu;  
qui dum procedunt, celso de vertice suavis  
panditur in vacuum (pastoris fistula iactat)  
naenia, quae ignota cunctos dulcedine captat  
et puerile trahit quo nescio flamine tempus.  
Dein trepidos secreta domus post funera Chri-  
[sti

bis sex discipulos cum Virgine Matre tuerit:  
tectum tunc crepuit commotum turbine venti  
et capita illorum flammea tetigere sequaces...  
Prodigium hinc aliud turbae portenditur omni:  
colle sub exigu sensim volitare columba  
in gyrum bis conspicitur; tum parvula clivum  
paulatim exurgit circum dominata superne  
sacra aedes, templumque imitatur, tempore pri-  
[sco  
quod pietate graves, precibus de corde fatigant  
dum tacitis Superos, quandam struxere paren-  
[tes.

Namque olim — retulit nobis haec cana vetu-  
[stas —  
clivo sub patulo, subiectum extenditur aequor  
unde freti (Scyllam et nonnumquam audire Cha-  
[rybdim  
e vitreo videare sonantis gurgitis ore)  
vitam degebat parvo contentus et aegre  
parvus homo. Illecebris haud saecli allactus ama-  
[ri

solas, cum vigil audiret tantummodo voces  
dulcisonas rerum caelo fluitare sereno,  
unum hoc sollicitus, Iesu implorantia verba  
fundebat supplex, post mortem ut scilicet atram  
ipsi se praebaret amicum Christus alumno:  
aspiciebat enim impavidus nigra limina mortis...  
At nocte obscura — dederat Vir membra grabato  
tantillam ut requiem fessus captaret — ab axe  
sentit caeruleo quandam sibi adesse beatam  
prae qua victa poli nitidissima sidera pallent.  
«Nicolae, (senis sonuit tum nomen) aprico  
exstremo colle aedem, qua semper rite fideles  
supplicibus cives precibus pia numina adorent  
amplexusque illos retinens caelestia cunctis  
donem: Virgo Dei Genetrix, quae te alloquor,

[adsum». Haec ubi dicta dedit, tenues se attollit in auras.  
Anceps tum visu noctesque diesque petebat  
quae loca per somnum Virgo praedixerat ipsa.

Quomodo at extrueret pauperrimus ille bono-  
[rum.  
heu, templum?... Haec secum tristis dum corde  
[volutat,  
rursus defesso per somni apparuit umbras  
Virgo, eadem quae iussa dedit: «Vade, inquit,  
[ad urbis  
mox dominos, mea iussa refer; praestare licebit  
iure fidem; media veniant cras luce petantque  
hunc patulum collem; summo delapsa columba  
aethere bis volitans monstrabit candida cunctis  
parvum ubi constituant condignum Numine tem-  
[plum».  
Vanuit his dictis; moverunt pauca supremos  
verba senis; properant; statuta desuper hora  
alba columba subit, volucris loca quaerit et am-  
[bit;  
omnes corde stupent; concurritur; usque resul-  
[tant  
carminibus loca aperta piis, subeuntque tenaces  
hic trabibus, lapidumque gerunt hic brachia mo-  
[les;  
moenia conduntur, tectumque imponitur; implant  
aera sonis laetabundis crepitantia caelum.

At iam tempus adest postremum, Musa, labo-  
[rem  
perficere: unde urbi Genetrix sanctissima Iesu,  
cum nondum superi angelica devecta cohorte  
mortem post placidam tetigisset limina regni,  
praesidium dederit validum certumque per ae-  
[vum.  
Viribus ut propriis in caelum se extulit altum  
Iesus, unde suis, quos divo robore cunctos  
ad cuncta afficeret, descendit Spiritus igneus,  
discipuli huc illuc orbis per compita terrae  
se diffuderunt, verbis ut et inclita saepe  
patrantes populum ad regnum caeleste vocarent.

Huc ille advenit veluti fulgore coruscus  
Paulus, quem allectae turbae sermone secutae  
sunt omnes, toto venerantes pectore Christum.  
Quod vix est factum (veteres retulere fideles  
resque ad postremos pervenit magna nepotes)  
ad Iesu Matrem maiores auspice Paulo  
lecti iter ingressi, quo sese urbemque remotam  
subicerent sancte, tueretur et Illa benigne.  
Immensum postquam mare tranvere, petentes  
usque vias Phoebo adversas, ad limina tandem  
pauperis hospitiis taciti pietate gravesque  
pervenere... Pios, Geniti quae ardebat amore  
atque expectabat mox ut remearet ad Illum,  
amplexu fovit socios dulcissima Mater;

*dein, ubi perstrinxit Iesu pietate et ad urbem forte reversuros nostram demisit, anhelo principi epistolium exiguum dedit ipsa ferendum, pignus ut immensi materni extaret amoris.*

*Historiam hanc priscam revocat modo mentibus alta turris: nam extremum, loca vix sua quaeque fit gura attigit, ante thronum praefulgens Virginis auro Angelus apparet, lente praecedit et haeret: palmam laeva manus, tabulam gerit altera scripsit ptam.*

*Permanet: ore gravis Genetrici flectit eique tradito epistolio pergit; tum pone secuntur Paulus, qui Domini Matrem veneratur, et amplius induitus peplo socium dux: huic bona Virgo litterulas praebet, queis nil iucundius unquam, Messanam ut reddant patribus senibusque severis.*

*Omnis cum socii iam processere, Deique Matri quisque caput flexit transitque, frequenter, quae rem spectavit, paulatim tum Cruce turbam signat amore piam Genetrix sanctissima Iesu. Haec ubi facta, viis diversis labitur omnis turba; locus risusque simul sonat undique laetus, omniaque effusis laudant sermonibus omnes.*

*Haec super egregio, Vincenti candide, cuncti quod miri spectant, opere artis forte canebam versibus incultis, dum tu nemus omne peragras musarumque legis flores, seu Sarnulus<sup>1</sup> ardens cursu alias devincit equos, Corsonna susurris seu querulis vatem mulcet per aperta Iohannem seu Carnera prior, turba plaudente, tenaci os, caput, auriculas, maxillas denique pugnis Paulino horrificis dominatus corpore tundit.*

Messanae.

JOSEPHUS MORABITO.

<sup>1</sup> *Sarnulus, Corsonna, Pugiles carmina Vincentii Pidori sunt, quae nondum, heu, in lucem prodierunt.*

*Quae armis praeclera facinora victoriaeque parantur, plerumque fortunae, vel ipsi temporis adiudicari solent. Verum secundus res modeste, temperanter, humane perfere, id certum propriumque virtutis existit documentum, in animis fortunatorum sitae.*

DIOD. SIC.

## NOSTRA RES

### Ad renovandum latinae linguae usum.

In superiore huius commentarii nostri fasciculo nunciavimus<sup>1</sup> novas de re a clarissimo Andrea Avenario ad nos missas litteras, quas proximo numero essemus edituri, addita forte aliqua nostra adnotatiuncula. Id quidem facere aggredimur.

Avenarii litterae sunt quae sequuntur: Andreas Avenarius Iosepho Fornario doctori, ALMAE ROMAE moderatori clarissimo, S. D.

Profecto, si nihil aliud essem assecutus litteris ad te mense Martio datis, illud non tenue existimarem lucrum, quod a me impulsus ante oculos nostros posuisti, ita ut facile uno cernamus conspectu, quae antiqui usurpaverint vocabula ad designandum illum qui temporibus Augusti fuit cursum publicum. Ante cetera gratum fuit quod me cursualem rhedam docuisti et cursualem navem.

Et tamen tibi aperte fateor aegerrime me a mea divelli posta et illis adiectivis, quae ex hoc nomine, quod est posta, ducuntur. Nam mihi ante mentis oculos versatur tota illa epistolarum et mercium et personarum transmissio, quae nunc publica est, quum antea hoc sibi negotium receperissent privati. Rem tabellarium, qui temporibus Augusti fuerunt recte appellaverunt: nam tum tabellae fere illae cerae in cursum venisse videntur publicum, totumque institutum Caesaram, quum mutare coepissent populi Europaei sedes interiit. Itaque res plane nova exstitit, quum stationes illae positae sunt, ex quibus tum quod nascebatur institutum posita vel correpta posta nominari sit institutum. Et quaecumque nationes postea hanc

<sup>1</sup> Cfr. pag. 160, col. 2.

publicam circumvectionem adoptaverunt, postam dixerunt, non ex tabellis, non ex vehiculis, sed ex illis stationibus positis equorum, quibus, ne essent intercapedes cursuum, commode uterentur pro defatigatis equis. Etiam hodie quum postam loquimur, potius aedificia, quae pro illis equorum stabulis erectae sunt, cogitamus quam rem vectariam tabellariumve.

Nunc ita censeo: vocem tot receptam populis cultu et humanitate florentibus, petitam ex Latino fonte, tam habilem ad usum, ex eo velim numero vocabulorum, quae novis procudere rebus omnium consensus sit fas.

Et quoniam non fugit nos tibi displicere tantam audaciam, nos quoad te Deus nobis servabit integrum, caste pudenterque illa abstinebimus voce, sed ubi clauseris oculos; quod tamen, ne fiat ante longam seriem annorum, omnes precamur divos; sed ubi clauseris, licentius posta abutemur. Fuit, o Fornari, quem ut parentem in re Latina nos minores suspicimus atque colimus, quum mihi quoque invisa esset ista vox. Tum casu ex urbe patria secutus sum sacerdotem in vicinam parochiam, quae est ex eo loco Bohemiae prima, parochi salutandi gratia. Ibi vidi librum qui directorium officii audit. Erant descripta parochiarum nomina et singulis erat additum, ubi ex eo loco telegraphi esset facultas, unde petendae epistolae essent commissae cursui publico. Quid multa? Vix credebam oculis identidem legentibus: posta, telegraphus, posta telegraphus. Etiamne, inquam, postam dici volunt illi Budvicense? Displicebat tum quidem licentia. At hodie placet, quia intellecti non potuisse brevius dici, non potuisse dici ad intelligentiam omnium proclivius.

Sed paene satis multa verba fecisse videor de posta.

Quod vero proponis de disponendis vocabulis et materiis lexicorum vehementer

mihi probatur et simulatque duobus tribus exemplis ostenderis, qualem illam rem fieri velis, potestatem fecero imponendae mihi alphabeti literae, in qua me velis facere opus. Tam me paratum idcirco invenis, quod haud scio an nullum consilium aliud magis ex re sit nostra. Expecto, quid sis acturus. Vale.

Ex urbe Tirschenreuth, Bavariae, Kalendis Octobrib. MCMXXXVI.

Si quid recentibus tuis litteris, Avenari mi, respondeo, ut amicus, ut frater, id exsequi volo, non certe ut « parens », ea etiam de causa, quod si iam tibi proposuisses postquam ego clauserim oculos licentius posta abuti, ecquod paternae reverentiae atque dilectionis exemplum esses praebituru? Ceterum iam in paucis illis lineis, quas in liberis a pittaciis ALMAE ROMAE responsis superiore Octobri mense tibi inscripsi, quam pictoribus et poetis quidlibet audiendi Horatius aequam potestatem trubuebat — (audaciam autem non ego tibi imputavi, sed tu confitebaris) — eam, imo et iniquam, si talis esset, tibi amplissimam faciebam, non quidem ex suasione mea, sed propter mutuam erga te sollicitudinem; timebam enim ne, si divi, quos omnes precebaris, tua vota exaudituri essent, meque diutissime servarent integrum, tu ob longissimae morae et inexplebilis desiderii angores conficereris, ad eosque ante me evolares.

Sed amoto quaeramus seria ludo.

Qui temporibus Augusti fuerunt — affirms — rem tabellarium recte appellaverunt, nam tum tabellae fere illae cerae in cursum venisse videntur publicum, totumque institutum Caesaram, quum mutare coepissent populi Europaei sedes interiit. Praetereo adiectivum illud a tabella deductum, praesertim si pro cursore litteras afferente adhibitum, in lingua latina indesinenter fuisse usitatum, vel longo post

quam tabella cerata locum papyro, et chartae quoque cessit; sed cursus publici institutum — de hoc reapse quaestio est — cum Caesaribus desiisse, haud historiae profecto veritati respondet. Augustus illum eo sensu publice instituit quo, equis et vehiculis modicis intervallis dispositis, celebrius scire posset quid in quaue provincia gereretur; sed deinde non Caesares modo, sed quotquot Romano imperio praefuerunt curarunt ut ad commodum etiam privatorum paullatim aptaretur. Sic Capitolinus testis est in Antonini vita (cap. XII) hunc principem «vehicularem cursum summa diligentia sublevasse»; Spartianus autem in Hadriani vita (cap. VII) «fiscalem cursum» memorat, itemque in Septimii Severi vita (cap. XIV), ubi expresse meminit vecturarum publici cursus pretia fisco ex Imperatoris edicto excipienda esse; ex quibus coniici licet non solum iam omnibus concessum esse iis uti, sed publicum ipsum cursum privatis fuisse etiam locatum; quod, ceterum, et in posterum factum invenimus, semper vero sub nomine cursus publici.<sup>2</sup>

Quod quidem, everso Occidentali imperio, constanter servatum est in Orientali; de cursu publico titulus in Codice Theodosiano (VIII, 5; XLVI, 8) invenitur, in quo, praeter cursuales equos, nominantur *Cursualis tractus*, *Cursuale ministerium*, *Praefecti cursus publici*, *Mancipes cursus publici*, et *Stationarii (Postarii)*, aut similes nunquam), ministri scilicet, qui cursui publico inservirent, per intervalla dispositi, ut evectione utentibus equos aut vehicula expedirent. Item de cursu publico sunt capita in codice Iustiniano (XII, 51) et in *Digestorum lib. L.*, 4, 18.

Numne in Occidente saltem interiit? Minime gentium; eodem semper nomine manet apud Vandulos; manet sub Odoacre, ac praesertim sub Theodorico et Alarico;

<sup>2</sup> Cfr. DARENBERG, *Dictionnaire des Antiquités*, voc. *Cursus publicus*.

manet sub Francis. Quod si aliquantum sub Merovingis cedit, apud quos «tractoriae» nomine cursus publicus appellatus videtur, expresse sub Carolo magnoredit atque expolitur.<sup>3</sup>

Vox *posta* oh! quam sero appareat; eaque in ore vulgi, vel in vulgaribus scripturis, et, utpote per syncopen a voce *posita* deducta, ad quot res significandas! Ex Ducale<sup>4</sup> excerpto: est loci situs, positio; est eo significatu quo Galli dixerunt: *faire fausse poste*; nempe «quum quis in militum recensione suppositios milites ponit, ut cohortem plenissimam exhibeat»; est locus in agro vel fluvio assignatus, ubi piscari potest «quod postibus seu palis sit clausus»; est districtus, territorium (gallice etiamnunc *poste*); est, ut in Statutis Mediolanensis, apotheca;<sup>5</sup> est locus ad conveniendum praestitutus;<sup>6</sup> vox est pro insidiis<sup>7</sup> usurpata; est voluntas, arbitrium, petitio, libido;<sup>8</sup> est tributi species; est pactum, compositio; est pro *Postella*, posteriorre scilicet porta, vel portula; est retis genus, seu piscandi modus, «quo rete ad palum in terra defixum ex una parte alligato, factoque longiori in mari circuitu, eo revertuntur piscatores, undi profecti fuerant»; est propositum, consilium;<sup>9</sup> est, ut nobis Italis, opportunitas; est spatium, intervallum quo duae molae in pistrino teneant pariete aut tabulato a proximiore spatio seiunctum (*Posta molendini*)»; est tandem et «Cursus cum veredis seu equis cursoribus», de quo vero sensu unicus citatur locus,<sup>10</sup> his verbis conceptus: «Ad

<sup>3</sup> DARENBERG, op. cit.

<sup>4</sup> Lex med. et infimae latinitatis, v. *Posta*.

<sup>5</sup> Aliquis qui teneat *Postam* pro vendendo carbones non possit se intromittere deportando carbones per civitatem altera quam ad suam postam seu apothecam».

<sup>6</sup> Gallice *rendez-vous*; Italice adhuc *posta*.

<sup>7</sup> Gall. *embuscade*; Italice *fare la posta*; *mettere alla posta*.

<sup>8</sup> Hoc etiam sensu hodierni Galli: *faire à sa poste*; et nos Itali.

<sup>9</sup> Gallice *projet, plan*; Italice sensu eodem.

<sup>10</sup> Comput ann. 1502 inter Probat. tom. 4, *Hist. Nem.* pag. 82, col. 1.

causam dictae litterae mandatae per dominum S. Valerii dominis consulibus Neomensi praedictis plures postas currere fecerunt»; unde utrum restituenda latinitatis exemplar capere possimus, ipse iudices. De derivatis autem, una vox, *postarius*, a Ducangio refertur, eademque cum hac nota: «*Auriga*, nisi sit pro *Pistarius*».

Quae quum ita habeantur; quum res, de qua disputamus, eodem semper publico nomine distincta fuerit; quum vox quae ad ipsam rem hodie significandam in eius locum proponitur, tantum ab imperitorum vulgo, passim, et ad diversa plurima declaranda effecta fuerit et usurpata, nos, renovando latinae linguae usui studentes, illa per saecula genuina et viva adhuc apud non incomptos scriptores vocabula e regno suo deiiciamus, iisque illud alterum, dubium et plurimum significationum, substituamus?

— Sed apud omnes hodiernos sermones paululis immutationibus vox *posta* adhibetur... — At «si qui cooperint vulgaris sermonis vocabulis terminaciones dumtaxat Latinas adglutinare, de lingua Latina actum erit!» Haec tua verba sunt, Avenari dulcissime.<sup>11</sup>

De disponendis autem vocabulis et materiis «lexicorum» nihil habeo quod addam iis, quae tu alias ad me scripsisti;<sup>12</sup> ipse viam optime stravisti.

Ama nos et vale.

I. FORNARI.

<sup>11</sup> Cfr. ALMAE ROMAE, fasc. mens. Martii huius anni MCMXXXVI, pag. 45.

<sup>12</sup> Ibid.

Spatio hodie deficiente, ad proximum numerum: *Colloquia latina*. — *Ex N. Machiavelli excerpta latine redditia*. — *Fabulae*. — *Escarum ordo*. — *Librorum recensio*. — *Regulus*.

## DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS

Ego ipse qui tibi, amice lector, olim praecepta tradidi quibus germanam latini sermonis naturam atque indolem penitus perciperes, nunc exempla ex scriptoribus optimae notae excerpta propono legenda. Quod tibi utile idemque gratum futurum spero.

«Longum iter per praecepta, breve per exempla». Regula autem, breviter commemorata, semper exemplis anteibit.

### I

#### *De peculiari vi pronominis is, ea, id.*

Ut legentium moveatur attentio, addunt Latini pronomen *is*, genere, et numero convenienti, quando adiicitur nova qualitas aut circumstantia, et ea inexpectata.

**EXEMPLA:** Quoniam magna vis orationis est *eaque duplex*, altera contentionis, altera sermonis, contentio disceptationibus tribuatur iudiciorum, contionum, senatus; sermo in circulis, disputationibus, congressionibus familiarium versetur (CIC.) — Levi facto equestri proelio *eoque* secundo, in castra exercitum reduxit (CAES.) — Hortatus est ne multis secundis proeliis unum adversum et *id mediocre* opponerent (CAES.) — Erant in Torquato plurimae litterae nec *eae vulgares* — Severitatem probo, sed *eam*, sicut alia, modicam (CIC., *De sen.*, 18) — Unam rem explicabo, *eamque maximam* (CIC., *De fin.*, I, 20, 65) — Adolescentes aliquot, nec *ii tenui* loco orti (T. L., II, 3) — Ingemiscere nonnumquam viro concessum est, *idque raro* (CIC.) — Naves paulo humiliores fecit quam quibus in nostro mari uti consuevimus, atque *id eo magis* quod minus magnos ibi fluctus fieri cognoverat (CAES.) — Imprimis nobis sermo *isque multus de te fuit* (CIC.) — A te bis terve summum, et *eas quidem* per-

breves, litteras accepi (CIC.) — Non libet mihi deplorare vitam: quod multi et *ii* docti saepe fecerunt (CIC.) — Privatas causas et *eas* tenues agimus subtilius; capit is aut famae, ornatius (CIC.).

## II

***De pronomine idem, eadem, idem pro "simul", aut "tamen",***

Quum duorum quae dicuntur de aliqua re aut persona alterum alteri coniungitur, pronomen *idem* redundare videtur, ut legentium moveatur attentio. *Idem* tunc significat aut *simul* aut *tamen*.

**EXEMPLA:** Scaevla peritissimus iuris *idemque* percomis est habitus (CIC., Brut., 58, 212) — Vitium est quod quidam nimis magnum studium multaque operam in res obscuras atque difficiles conferunt, *eademque* non necessarias (CIC.) — Necesse est qui ita dicat ut a multitudine probetur, *eundem* doctis probari (CIC.) — Multi qui propter victoriae cupiditatem vulnera exasperunt fortiter, *iidem* dolorem morbi ferre non possunt (CIC.) — Itaque se contulit ad Pharnabazum, satrepē Ioniae et Lydiae *eumdemque* generum regis (CIC.) — Viros fortes et magnanimos, *eosdem* bonos et simplices esse volumus (CIC.) — Asiam refertam et *eandem* delicatam sic obiit, ut in ea neque avaritiae neque luxuriae vestigium reliquerit (CIC.) — Quis ignorat musicen tantum iam illis antiquis temporibus non studii modo, verum etiam venerationis habuisse, ut *iidem* musici et vates et sapientes iudicarentur Orpheus et Linus? (QUINT.) — Tibi aras, tibi occas, tibi seris, tibi *eidem* et metis (PLAUT.) — Quum optimam praestantissimamque naturam dicat esse, negat *idem* esse in Deo gratiam (CIC., De natur. deor., I, 43) — Non omnes qui attice, *iidem* bene, sed omnes qui bene, *iidem* etiam attice dicunt (CIC.).

S. Leonardi in Helvetia.

I. Jss.

**ANNALES****Italicarum rerum administri primi orationes.**

Orationes duas, quas Italicarum rerum administer primus Mussolini, Bononiae alteram, alteram Mediolani habuit, publicorum recentium eventuum primas partes tenuisse non immerito dixeris: eae enim mentes animumque, ubique per orbem anxiū et sollicitum, moverunt, amplissimasque sermocinationes excitarunt. In prima, postquam Italiae gesta per ultima haec tria lustra recensuisset, Italiae propositum his verbis enuntiavit Mussolinius: « In operibus pacem, opera in pace »; pacis vero symbolus, olivi ramus, ex immensa silva octogiens centenorum millium cuspīdum profertur, earumque bene acutarum a iuvenilibusque intrepidis manibus animose ac fortiter destrictarum. Conclusit Italicam nationem omnem nunc in excelsitate esse, Imperii scilicet; gravissima quidem praestare; terribiles quaestiones urgere; eas vero — inquit — subibimus *eumdemque* generum regis (CIC.) — Viros fortes et magnanimos, *eosdem* bonos et simplices esse volumus (CIC.) — Asiam refertam et *eandem* delicatam sic obiit, ut in ea neque avaritiae neque luxuriae vestigium reliquerit (CIC.) — Quis ignorat musicen tantum iam illis antiquis temporibus non studii modo, verum etiam venerationis habuisse, ut *iidem* musici et vates et sapientes iudicarentur Orpheus et Linus? (QUINT.) — Tibi aras, tibi occas, tibi seris, tibi *eidem* et metis (PLAUT.) — Quum optimam praestantissimamque naturam dicat esse, negat *idem* esse in Deo gratiam (CIC., De natur. deor., I, 43) — Non omnes qui attice, *iidem* bene, sed omnes qui bene, *iidem* etiam attice dicunt (CIC.).

At maius tenuit commune studium Mediolanensis oratio, quippe quae Europae universae attigit statum: de quo qui certior fieri velit, is « tabulam rasam » efficiat oportet de qualibet falsa specie, de vanis usitatis verbis accommodatisque mendacii, reliquias constituentibus magni illius naufragii, quod somniantis Wilsonii rationes passae sunt. Falsa species, armorum depositio: nemo arma deponere vult primus; arma autem simul omnes deponere impossibile quidem et absurdum; falsa species, una pro omnibus cautio: huiusmodi cautio exstitit nunquam, non hodie existit, nunquam exstabat: populus virilis in finibus suis incolumitati suae providet, renuitque propria fata in aliorum incerta manu ponere; vana verba pax individua, individuum bellum significans; populi enim iure

pro aliorum commodis pugnare renunt. Nationum Societas, paribus omnium Civitatum iuridicis officiis inepite innixa, exadversum hoc dilemma habet: aut renovari, aut mori. Atqui sese renovare est ei difficultimum: quod ad nos attinet — inquit Mussolini — tranquille potest emori. Ipsa sanctiones designavit et confecit, impedire ipsa conata est civilis cultus opus, quod Italia in orientali Africa aggressa est; frustra tamen: Italicus enim populus compacte coniunctus is est, ut cuiusvis generis sacrificia perferat, atque non dubitet etiam cum duabus supra quinquaginta nationibus simul coeuntibus decertare.

Ob sanctiones ratas quoque a Gallia habitas, quaeque ne post Italorum triumphales victorias quidem intermissae sunt, Italos inter et Gallos amicitia, per decem et septem annos, inter simultates opinionumque errores actos, mense ianuario MCMXXXV sancta, aliquantum stabilitatis suae amisit: Italicum imperium a Gallia nondum est agnatum: quoque igitur Gallicum gubernium coram nobis moram suam servabit, Italia eamdem rependet agendationem.

Cum Helvetica civitate, parva quidem, sed tum ethnica, tum geographice maximi momenti et ponderis, optime Italia convenit atque conveniet.

Ex pactionibus die superioris mensis Iulii undecima initis, novus in nova Austria saeculorum natus est ordo, ex quo civitatis compagis firmitas crevit magisque eius libertati cautum est.

Regionis quas Danuvius amnis permeat res componi omnino nequivunt, nisi magno Hungarorum mutilato populo ius suum fuerit tributum: quadragies centena millia hominum praeter fines civitatis suae vivunt! Occasio fortasse proxima; eaque sollempnis, erit, in qua Italicī populi animi sensus erga illum populum, cuius bellicas virtutes, magnanimitatem, liberalitatem ha-

bemus explorata, publica amplissima declaratione patet.

Proximis his temporibus mutua Italiae et Iugoslaviae officia in valde melius mutata sunt: necessariae ac sufficientes tum moralis, tum civilis, tum oeconomicae rationis argumenta iam exstant ad certam ineundam amicitiam.

Colloquia ab exterorum negotiorum Italicō administro Berolini recens habita communem Germaniae et Italiae mentem asseruerunt de nonnullis quaestionibus etiam, his diebus, gravioribus: « sed huiusmodi a Berolino ad Romam directa linea, diaphragma haud quidem est; verum potius axis, circum quem omnibus Europae civitatibus operam suam sociare licet, quibus nempe voluntas consociati laboris paucisque sit ».

Ne cui mirum videatur nos hodie vexillum contra *bolscevismum* tollere: vexillum nostrum vexillum est, iuxta quod per sacrificia nostra nostrumque sanguinem de secta illa victoriam reportavimus: ei verum populi imperium apud nos constitutum opponimus, quod quidem cuique nostras regiones pergranti apprime constabit.

Mediterraneum mare brevior Anglis est ad suas possessiones via; Italī nobis est vita. Nulla mens est nobis hanc viam minari, neve interrumpere; repetimus vero et iura nostra vitalesque nostras utilitates servari. Intelligent Angli rerum veram rationem: quo citius id factum fuerit, eo melius fuerit. Profecto bilateralis minime cogitari potest offensio, eoque minus offensio quae, bilateralis orta, illico Europae impetus et concursio fiet; problematis itaque solutio una: mutuam, dico, conspirationem eamdemque sinceram, rapidam, integrā, mutuarum necessitatum recognitione fultam. Quod si id non esset, si — quod iam hodie excludendum est — vere quis meditaretur Italicī populi vitam in mari illo suffocare, quod Romae mare fuit, is scito Italicum populum omnem, quasi virum